Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36544
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

112

ta sunt. Quid tibi videtur domine mi Petre? Et ille respondit. Certus ego dulcissime Aquila sum.
Verba sancti Petri. quia omnia pro bona dei providentia gesta sunt, ut non solum infirma et fragilis
verum et turpis esset causa que contraria erat veritati. Si enim validior
et veri similior fuisset erroris assertio, haud facile quisquam qui in eo deceptus
esset ad veritatem rediret. Si enim nunc cum tam multa probra et dede-
cora de diis gentium proferuntur, vix aliquis turpem derelinquit errorem, quan-
to magis si esset ibi aliquid honestum et veri simile. Difficile namque transfertur
animus ab his in quibus a prima etate preventus est. Et ob hoc ut dixi divina provi-
dentia factum est ut erroris substantia et infirma esset et turpis. Sed et cetera
omnia simul mihi competenter et commode dispensat divina providentia, li-
cet nobis ignorantibus rerum causas, bone et optime dispensationis divi-
Verba Clementis. ne non liqueat ratio. Cumque hec Petrus dixisset, ego Clemens Nicetam roga-
bam ut aliquid de allegoriis gentilium quas diligenter attigerat agnoscen-
di gratia exponeret. Utile enim est ut cum gentilibus disputamus et ista ~~nos~~
minime nos lateant. Et Niceta: Si hoc permittat dominus meus Petrus pos-
sum dicere. Et Petrus: Hodie permisi vobis dicere adversum gentiles ut nostis.
Verba Nicete. Et Niceta ait: Dic ergo Clemens de quibus audire velis. Tum ego aio: Quomodo tra-
dunt de deorum cena gentiles, quam in Pelei nuptiis habuerunt, et Teti-
dis, quem dicunt esse Paridem pastorem, et quos ponunt in Iunonem et Minervam
et Venerem que apud eum iudicantur, quemve Mercurium, vel quid malum, et cetera que per
ordinem secuntur, enarra nobis. Tum Niceta: Cene deorum causa hoc inse-
rit. Convivium mundum tradunt, discumbendi ordinem deorum stellarum Zo h. allegoria
positionem, quos Hesiodus celi et terre primos filios nominat, in quibus VI
mares et sex feminas ad duodecim signorum numerum refert, que univer-
sum circueunt mundum. Dapes autem convivii rationem esse et causam rerum
tradunt, dulcem et concupiscibilem, que queri regatur et gubernetur hic mundus ex sig-
norum positione et astrorum cursibus colliguntur. Ad libertatis tamen convivii mo-
dum dicunt ista constare, pro eo quod potestatem habeat unicuique sensus si velit de-
gustare aliquid ex huiusmodi scientia aut si nolit. Et sicut in convivio nemo
cogitur sed vescendi libertas penes unumquemque est, ita et philosophandi racio